





1719, 6<sup>a</sup>

597  
9

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**EO, QVOD JUSTUM  
ET INJUSTUM EST  
CIRCA  
TRANSACTIONEM,**

QUAM  
IN ILLUSTRIS ET PERANTIQUA UNIVERSITATE  
ELECTORALI HIERANA  
*SUB PRÆSIDIO ALTISSIMI,*  
SENSU ILLUSTRIS FACULT. JURIDICÆ,  
PRO CONSEQUENDIS IN UTROQUE JURE PRI-  
VILEGIIS ET IMMUNITATIBUS  
DOCTORALIBUS

*D. XVII. AUGUSTI ANNO SALUTIS MDCC XIX.*  
PUBLICO DOCTORUM SCRUTINIO  
SUBMITTIT

**GABRIEL HEINRICUS** *Silien/*  
ERFURTENSIS,  
REGIMINIS ET JUDICII ELECTORALIS HUIJATIS  
ADVOCATUS ORDINARIUS.

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.



DISPUTATIO NAUGURALS IUDICIA  
DE  
BO. OVO IUSTUM  
ET IUSTUM EST  
CIRCA  
TRANSITIONEM.

IN ILLUSTRI ET BEROLINENSIS UNIVERSITATE  
LECTORALI BEROLINENSIS  
JURIS DOCTORALIS  
CONSENSU ILLUSTRI FACULT. JURIDICAE  
DOCTORALIS

GABRIELI HEINRICUS BEROLINENSIS

APPOSD. THE BEROLINENSIS FACULT. JURIDICAE





DE  
EO, QUOD JUSTUM ET INJU-  
STUM EST CIRCA TRANS-  
ACTIONEM.



Anibus ad cœlum prius euectis,  
& divino auxilio invocato, ad  
opus feliciter progredimur, l.  
1. §. 2. C. d. Veter. jur. enu-  
cleand.

Th. I.



ransactionis vocabulum, quod nonnulli  
Accordum & Concordum; *Job. de Ami-  
cis Conf. 31. n. 8. & Conf. 130. n. 5.* Germani  
*Vertrag* appellant, compositum est ex  
Trans & Actio: atque cum apud probatos Autores,  
tum in Jure bifariam accipitur: Generaliter, & spe-  
cialiter. Illo modo sumitur pro cujusque negotii com-  
positione, confectioe & definitione, l. 229. & 230. ff.  
*de verb. signif.* ita ut transigere idem valeat, quod nego-  
tium

tium expedire, vel ad finem aliquid deducere. Item vox Transactionis significat quemlibet Actum, quo ab obligatione receditur. *Barthol. in l. 2. ff. d. iurejur.* Sic transigi dicitur per Juramentum in litem, *l. 46. ff. d. R. V. & jusjurandum dicitur speciem transactionis continere, l. 2. l. 31. ff. d. iurejur.* & pacto convento dicitur transactum, *l. 35. ff. d. Pact.* Hoc Specialiori vero modo vocabulum transactionis acceptum, conventionem indicat, qua lite jam mota vel movenda aliquo datō retentoque, promissō receditur, *tot. Tit. ff. C. d. Transact.*

## Th. II.

In quâ posteriori significatione transactio describi potest, quod sit Contractus innominatus, quo aliquo datō, acceptō vel promissō, à lite disceditur, aut res dubia atque incerta remittitur.

## Th. III.

Non immeritō transactio dicitur *contractus*, quia causam præcedentem seu *συνέλλαγμα* in se continet. In transactione enim datur quippiam, aut fit, ut à lite discedatur, vel res incerta & dubia remittatur, quo aliquid vivissim detur, aut fiat *l. 1. ff. d. Transact. l. 38. C. cod.* Imò differtis verbis transactio constanter in legibus contractus appellatur, *l. 5. C. d. Transact. L. 7. C. d. his que vi metusve causa l. 17. C. d. fid. Instrum. l. f. C. d. litigios.*

## Th. IV.

Describitur porro transactio contractus *innominatus*, quia nec certam & specialem formam habet, nec in proprium ac speciale nomen transit, sed in generis sui

❁ ( 5 ) ❁

ſui nomine perſiſtit. Vocabulum enim transactionis generale eſſe, & qualemcunque negotii confectionem denotare, ſupra fuit demonſtratum. Idem quoque ex eo probatur, quod transactio pariat actionem præſcriptis verbis *l. 6. § 33. h. t.* Hæc vero actio non niſi ex contractu innominato descendit *l. 1. 2. 3. § ſeq. ff. d. præſcript. verb.* Quamvis negari nequeat, transactionem nonnunquam fieri contractu nominato: v. g. Stipulatione *l. 6. l. 33. C. h. t.* eaque ſimplici, *d. LL* vel Aquiliana, cui ſubjicitur acceptilatio *L. 4. l. 15. l. 32. C. h. t. Lauterbach. in Compend. Jur. ad Tit. de Transact. Lit. C.*

Th. V.

Additur in Descriptione *aliquo retento vel promiſſo.* Transactio enim nullo viciffim dato, vel retento, vel promiſſo, minime procedit. *L. 38. C. d. Transact.* Et ſi instrumentum ſilentio tenet, aliquid datum vel promiſſum eſſe, hoc non præſumitur, ſed corruiſt transactio, *Mantic. de Tacit. § ambiguis conventionibus lib. 26. Tit. 1. n. 23. Hilken. ad L. 38. C. d. Transact. n. 5.* Et enim transactione neque Totum, neque nihil aufertur, ſed utrinque aliquid, vitandæ litis cauſa, remittitur. Quod ſi Actor totum remitteret, & liti renunciaret, donatio, non transactio foret.

Postremo ſubjicitur in descriptione, *à lite diſceditur, aut res dubia & incerta remittitur.* Siquidem in transactione omni requiritur dubietas cauſæ, de qua transigitur *l. 1. ff. d. Transact.* Fundamento autem hoc falſo remoto, corruiſt omne, quod ſuperſtructurum, *Stryk. d. Cau-*

*d. Cautel. Contract. S. 3. C. 7. d. Transact. §. 2.* Et quamvis timor litis sufficiens causa sit ad transigendum; hoc tamen de lite tali probabili intelligendum est, non ea, quæ per calumniam moveri possit *l. 6. §. 1. ff. d. Condit. Ind.* Verum de hoc pluribus dicemus infra de effectu transactionis.

Th. VII.

Dividitur transactio, & quidem ratione objecti, in UNIVERSALEM, GENERALEM, & SPECIALEM. *Lauterbach. in Compend. d. Jur. ad Tit. de Transact. Lit. D.* Universalis dici potest, quæ sopit controversiam juris alicujus universi, seu omnium rerum, & decidit lites inter transigentes cujuscunque etiam diversi licet sint generis. Generalis est, quæ respicit plures ejusdem generis lites, etiam postea repertas, modo dolus & error absit *L. 19. L. 29. C. h. v. Lauterbach. d. loc.* Specialis vero dicitur, quæ de re aliqua certa, & singulari lite nominatim fit. Quæ ad alias non pertinet, licet additum sit hoc: NIHIL A TE PETAM sc. ex hac conventionem. Verba enim generaliter adjecta, transactione speciali sunt ad casum præcedentem restringenda; Nam transactio est stricti juris. *Stryk. in suis annotat. ad Lauterbach. d. Transact.*

Th. VIII.

Quantum ad justitiam transactionis universalis attinet, vulgatissima cautela est, si partes transigentes controversias inter se omnes tollere velint, ut generalissimis verbis transactionem concludant. e. g. *und sollen auch durch diesen anjetzo getroffenen Vergleich, alle und jede An- und Gegenforderung und prætensionen, sie mögen*



( 7 )

mögen herrühren aus welchen Fundament sie immer wollen, hiemit gänzlich cassiret, annulliret und mortificiret seyn, dergestalt, das keinen Theil frey stehen soll, unter welchen prætext es auch immer seyn möchte, einen Streit zu erwecken. Sed cum transactio ad incognita non extendatur L. 5. ff. d. Transact. l. 9. §. 1. ff. eod. & inde sæpius negetur de hoc vel illo puncto, utpote tunc temporis incognito, transactum fuisse; Profecto, uti meminit Strykius in suis Cautelis contractuum Sect. 3. C. 7. §. 15. & 16. optimum pro transigentibus consilium est, ut transactionis ab initio controversiarum litiumque omnium specificam mentionem faciant, quas transactione æterno carcere sepultas esse cupiant; postea vero verbis generalibus expressis transactionem concludant. Tali enim casu negari non poterit, de hac, vel illa lite tempore transactionis cogitatum non fuisse, cum hujus ab initio facta fuerit mentio. Imo & hæc cautela adhiberi potest, ut in transactione expressè renunciatur exceptioni non cogitatorum. E. g. und sollen dergestalt alle und jede An- und Zuspruche, nicht allein deren jetzo Erwähnung geschehen, sondern, auch alle übrige, daran nicht einmahl gedacht worden, sondern sich künfftig noch unverhofft hervor thun möchten, gänzlich cassiret seyn.

## Th. IX.

Ratione accidentis dividitur transactio in juratam, & non juratam: *Lauterbach. d. l.* Ut enim eo validius se constringant transigentes, sanctam hanc transactionis observationem juramento munire possunt, cujus juratæ transactionis violatio postea infamiam

miam infert l. 41. C. d. Transact. Renunciationis juratæ formula sequens esse potest: Gestalt dann über das so wohl N. N. als N. N. einander zugeschworen, und Krafft dieses zuschweren diesen Vergleich in allen und icken seinen Punkten und Clauseln erbahr und unverbrüchlich zu observiren, und zu halten, so wahr ihnen GOTT der Allmächtige helfen soll und sein heilig Wort, dessen zu mehrer Uhrkund seynd davon &c.

Th. X.

Transactio alia fit vel in judicio vel extra judicium. Hinc porro dividitur in judicialem & extrajudicialem l. 18. C. h. t. Inque multis judiciis laudabiliter est constitutum, ut præ omnibus transactio inter litigantes tentetur. Churfürstliche Hannoverische Cantzley Ordnung Tit. 9. §. 1. & 2. Et licet regulariter nemo ad transigendum compelli possit, cum transactio fit bonum persuasibile, non compulsibile: si tamen inter Ministros unius ejusdemque Ecclesiæ de Concionibus funebribus, de divisione accidentium, vel de aliis negotiis lites exoriantur; illæ è vestigio componendæ, & ad transactionem litigantes compellendi sunt, ne ejusmodi lites quoddam populo præbeant scandalum. Georg. Engelbrecht. ad ff. d. transact. th. 60. Brunn. jur. sacr. libr. 3. C. 1. §. 15.

Th. XI.

Hiscæ præmissis justitiam vel injustitiam transactionum paulo penitius contemplaturi, personas transigentes sistimus, qui vel transigere possint, vel non. De quibus hæc tenenda est regula: **OMNIBUS PERMISSUM EST TRANSIGERE, QUI NEC NATURA**

(9)

TURA NEC JURE PROHIBENTUR, *arg. l. 12. ff. d. pact. l. 43. §. 1. d. Procurat.* Natura prohibentur, qui ob vitium animi consentire nequeunt, siquidem transactio in se conventionem & consensum habet *l. 1. §. 3. ff. d. pact.* Tales vero sunt, qui mentis usu prorsus, aut non rectè fruuntur *L. 27. C. h. t.* ut sunt mente capti, furiosi *l. 5. ff. d. R. J.* Dilucida vero habens intervalla, tempore intermissionis rectè paciscitur. Furioso assimulatur extreme ebrius, utpote usu rationis privatus, *arg. c. 14. X. d. Vit. & bon. Cleric. Vinnius d. transact. C. 14. n. 3.* talis enim cum ignorans omnia agat, nullum intellectum habuisse præsumitur. *Wesensbec. in Parat. ff. d. rit. nupt. n. 8.*

Th. XII.

Lege prohibentur transigere impuberes seu pupilli, quia in his intellectus & voluntas nondum sese exerit. Nam etsi natura consentire & obligari possint, quoad actum primum *l. r. d. Novat.* intelligunt enim quod geritur, *l. 5. ff. d. R. l.* tamen, quia eorum consensus infirmus est, & multis captionibus obnoxius *l. 1. ff. d. Minor.* ideo lex eorum conventiones imperfectas quoad actum scilicet secundum, ut inde conveniri non possint, esse voluit: *tit. J. ff. & C. d. Tutel. Wesensbec. in Parat. ff. d. pact. n. 5.* Ita ut pupilli rem nullam sine Tutoris auctoritate alienare possint §. 2. *J. Quib. alien. licet l. non.* Nec velle nec nolle intelliguntur, nisi adhibita Tutoris auctoritate *l. 189. ff. d. R. l. & §. 9. l. d. laut. Stipulat.* Rectè autem transigunt absque Tutoris auctoritate, si conditionem suam faciunt meliorem *Scotaz. in Exam. jurid. h. t. quest. qui pos.*

B sunt



*sunt transigere: Princ. Inst. d. Autorit. tutor. si scilicet aliquid illis detur aut remittatur l. 28. ff. de pact. l. 2. ff. d. Acceptilat. Nam placuit, meliorem quidem conditionem permitti eis facere, etiam sine Tutoris auctoritate; deterio- rem vero non aliter, quam Tutore consentiente: Princ. Inst. d. Autor. tutor.*

Th. XIII.

Prodigi, quibus bonis interdictum, transigendi potestatem non habent, l. 1. ff. d. Curat. furios. Transactio siquidem species quædam est administrationis & alienationis, arg. l. 4. C. d. præd. Minor. Minores, Procuratorem habentes, sine ejus consensu non recte transigunt l. 25. l. 33. C. d. Transact. Si vero sine Curatore sint constituti, procul dubio transigere possunt, ac transigendo obligantur arg. l. 3. C. d. rest. in Integr. minor. sic tamen, ut si transactione fuerint læsi, adversus eam restituantur in Integrum, tot. tit. C. si adversus transact. l. 11. C. d. Transact.

Th. XIV.

Pater cum filio transigere nequit, propter omnimodam istarum personarum conjunctionem. Vox enim filii vox Patris esse intelligitur §. 4. l. d. Inutil. stipulat. Imo Pater & filius de jure Civili pro una eademque persona habentur ac censentur l. f. C. de Impub. & al. subst. Sicuti igitur sibi ipsi nemo potest esse obligatus; ita nec Pater & filius in potestate constitutus, invicem obligantur. Qua ratione etiam neque inter patrem & filium lis esse potest l. 4. ff. d. Jud. & per consequens nulla transactio, in qua lis semper esse debet l. 1. ff. h. 2. add. Arist. l. b. 5. Eth. ad Nicom. C. 6.

Th. XV.

Th. XV.

Porro Procurator ad agendum, five ad lites, datus, transigendo domino non præjudicat *L. 7. C. b. t. l. 13. princ. d. pact. arg. l. 10. C. d. Procurat.* etiamsi ad omnes lites cum libera, sit datus *l. 60. ff. de Procurat. Lauterbach. in Compend. Jur. ad tit. ff. d. Transact. Lit. S.* nisi habeat speciale mandatum *arg. l. 17. §. fin. d. jurejurand.* Procurator enim extra mandatum procurator non est *l. 1. ff. d. Procurat.* Et cui causæ actio mandata est, ei litis transactio mandata non intelligitur; cum contraria sint agere, & transigere. Nam is qui agit, litem movet; qui transigit, finit, atque à lite discedit, ejusque oppositum, quod sibi mandatum est, facit.

Th. XVI.

Procurator itidem omnium bonorum, non transigit, sine speciali mandato *arg. d. l. 17.* Quicquid enim requirit speciale mandatum, illud generali non continetur: Atqui transactio speciale mandatum desiderat *C. qui ad agendum d. Procur. in 610 l. 7. ff. in fin. d. jurejurand. l. 7. C. d. Transact.* E. Procurator totorum bonorum sine libera, absque speciali Domini sui mandato transigere nequit. Siquidem quibus prohibetur alienare, illis transigere quoque prohibetur; cum transactio sit species alienationis *l. 4. C. d. reb. minor non alienand.* Atqui procurator universorum bonorum prohibetur sine speciali Domini mandato res ejus alienare *l. 63. ff. d. Procurat.* Ergo. Quod etiam expresse confirmatur, *l. 60. de Procurat.* in qua ita Paulus, Mandato, inquit, generali non continetur etiam transactio decidendi causa interposita. *Ideoque si postea is, qui mandavit,*

B 2

davit.



*dati, transactionem ratam non habuit, non potest repelli ab actionibus exercendis.*

Th. XVII.

Procurator autem in rem suam constitutus, i. e. cui actio cum omni ejus commodo & incommodo cessa est, recte transigit, *l. 17. ff. d. jurejur.* Quia est instar Domini, cui non cedit in lite movenda *l. 55. in fin. d. Procurat. Zoef. ad Tit. ff. d. transact. tb. 2.* Idem conceditur univerforum bonorum procuratori cum libera *l. 58. § 63. ff. d. Procurat.* Quamvis distinctio inter Procuratorem univerforum bonorum cum libera & sine libera, quum expresse legibus fundata sit, à nonnullis Dd. male rejiciatur. Quando enim Procurator univerforum bonorum cum libera exigere potest, novare & permutare *d. l. 58. ff. d. Procurat.* rem certam Domini alienare *l. 9. §. 4. ff. d. A. R. D. §. nihilque inter est J. d. R. D. de ea pacisci arg. l. 1. ff. d. Transact.* absque speciali mandato Domini juramentum litis decisorium deferre: poterit quoque sine speciali mandato de ea re transigere. Quod ipsum expresse confirmat *l. 60. §. Lucius Titius ff. mandati,* in qua quænam ac quanta sit Procuratoris cum libera potestas, luculenter exponitur.

Th. XIX.

Syndici, seu Civitatum administratores, de rebus Civitatum dubiis rectè transigunt *l. 12. C. h. 1. Gail. 2. obs. 72. n. 11. Dec. Conf. 197. n. 4. ut & Tutores & Curatores de rebus pupillorum & minorum l. 45. l. 56. §. 4. ff. d. furt. l. 64. §. fin. d. Administ. tutor. modo jus pupillorum & minorum sit valdè dubium, Struv. Exerc. 6. tb.*

6. th. 55. *Stryk. in annotat. ad Lauterbach. Tit. d. Transact.*  
*verb. tutores:* Et Judicis Decretum accedat in rebus  
 immobilibus alienandis l. 22. C. d. *Administr. tutor. l. 4.*  
*C. d. pred. minor. non alien. Bach. ad Tit. d. Transact. C.*  
*3. Vinnius d. l. C. 3. n. 7.* Quicumque enim Dominus  
 est, aut Domini loco; in rebus istis, quarum Dominus  
 habetur, cuncta facere potest, quæ ipsi expressè ac no-  
 minatim non reperiuntur adempta l. 22. C. *Mandat.*  
 Jam vero Tutores in rebus pupilli & Curatores in re-  
 bus minorum & adutorum domini loco habentur l.  
 56. §. 4. ff. *de furt. l. 22. ff. d. Administr. tutor. l. 7. §. 3. ff.*  
*pro emtor.* Ergo de rebus pupillorum, adhibita tamen  
 supra dicta distinctione & limitatione, rectè transige-  
 re possint.

## Th. XIX.

Pater de bonis filii adventitiis, quorum plena  
 proprietas ad filium spectat, sine consensu aut man-  
 dato filii transigendi licentiam nullam habet, nec po-  
 testas Patris attenditur l. 2. ff. *ad Scrum Maced.* liberri-  
 maque administrandi potestas penes filium residet  
*Nov. 117. C. 2.* De bonis tamen filii familias adventitiis  
 ordinariis, tanquam legitimus administrator, etiam  
 non requisito filii consensu, rectè transigit, *Gilk. n. 9.*  
 §. 10. *d. transact. Gail. 2. obs. 72. n. 14. Borchold. in tract.*  
*de transact. C. 4. n. 9. §. 10.* Neque opus est, ut Pater  
 decretum magistratus adhibeat *Lauterbach. in comp.*  
*Jur. ad. tit. ff. de transact. lit. C. Struv. Ex 6. th. 55.* Si  
 enim ex justa & necessaria causa patri conceditur bo-  
 na filii adventitia alienare; multo magis, necessitate  
 ita flagitante, nempe si pater animadvertat alia ratio-

ne bona illa conservari non posse, de iisdem illi transfigere licet. Quoniam plus est, rem certam alienare, quam de re incerta, dubia ac litigiosa, transfigere. Patri vero permissum est necessaria & justa ex causa, etiam ignorante filio, bona ejus adventitia alienare, vendere *l. 8. §. fin. autem C. d. bon. liber.* Ergo etiam de iis poterit transfigere.

Th. XX.

Vasallus de feudo controverso, etiam incscio domino, transfigendi jus & facultatem habet *C. si de feudo §. si vasallus 2. feud. 26. & C. si controversum 2. feud. 43.* Quod DD. accipiunt de transactione decidendi, non alienandi aut diminuendi causa facta, h. e. Vasallum ita transfigere posse, ut ipse rem feudalem, quam tenet, retineat, aliquo dato vel promisso adversario, vel ut eandem ab adversario accipiat: Non vero ut ipse aliquo accepto eam adversario relinquat, aut cedat, *Joh. Borcholt. in tract. feud. C. 8. n. 44. Ritterbus. in parat. feud. lib. 2. C. 2. q. 17. Duaren. d. feud. C. 12. n. 10. Zoesius p. 9. n. 19. Rosenthal. in Synops. feudali C. 9. membr. 1. C. 21. n. 2.* Verum cum hujus distinctionis in toto jure feudali nullum extet vestigium, e contrario in allegato capite controversa, *secund. feud. 43* ita habeatur: vasallum transactionis nomine quid accipere, & feudum in alium transferre posse: Ideo tutius est statuere, vasallum etiam sine domini consensu, non solum decidendi, sed etiam diminuendi & dimittendi feudum gratia, transfigere posse, modo bona fide & absque fraudulento consilio id faciat. *Georg. Adam. Srub. Exerc. feud. c. 12. th. 8. Ludwel. in synops. jur. feud. c. 8. de eff. sect.*



✠ ( 15 ) ✠

*feud. feudi quoad vasallum &c.* Neque obstat, quod feudi alienatio prohibita sit, *C. 2. feud. 55.* Siquidem hæc prohibitio procedit, cum constat feudum esse: Transactio autem non nisi de re dubia & incerta fieri solet. *l. 1. ff. d. transact.* Adeoque cum non constet, utrum feudum sit, de quo controvertatur, utrum non sit; omni jure transactio licita est.

Th. XXI.

Objectum sive materia transactionis cujus Justitiam jam rimamur, sunt RES DUBIÆ INCERTÆ & LITIGOSÆ vel propter litem præsentem, & jam moram *l. 6. l. 17. C. h. t.* vel propter litem imminens, metuque futuræ litis *l. 2. C. d. t.* vel ob aliam aliquam causam, qua res incerta & dubia redditur *Georg. Engelbrecht. ad tit. ff. de transact. ib. 62.* Vnde, cum res judicata civiliter certa sit, utpote quæ ex pragmaticorum vulgari asserto, ex nigro album & ex falso verum faciat, de ea transigi non potest *l. 32. C. d. t.* Et transactio super judicato facto, nullius momenti est *l. 32. §. 1. ff. d. cond. ind.* Quia post sententiam à judice latam, intellige, quæ transiit in rem judicatam, secus, si ab eo appellatum, res non est amplius dubia, nec lis incerta, cum sententia judicis finem controversiæ accipiat *l. 1. ff. d. re jud.* Quæ autem per sententiam finita sunt, restaurari, & rursus in controversiam revocari non possunt. Diversa est ratio pacti. Hoc enim cum de re certa atque indubitata fiat *l. 1. ff. de pact.* etiam post rem judicatam locum sibi vindicat *l. 7. §. si paciscar ff. d. t.* Cum vero hodie pacto eadem obligandi vis insit, quæ transactioni *Zoes.*

ad

ad Tit. ff. de transact. n. 10 Groeneweg. adl 31. C. b. t. Hinc, si in negotio aliquo transactionis requisita omnia non concurrant; per modum pacti illa sustineri poterunt. Inde etiam, uti meminit Stryk de Cautel. contractuum Sect. 3. c. 7. §. 3. non inutile erit, transactioni sequentia inserere verba: Solte auch der jetzo getroffene Vergleich in allen Punkten als eine transactio nicht bestehen können, solte er doch gelten als ein pactum simplex, oder liberalis remissio und translatio juris sui, oder wie er sonst zu recht und an kräftigsten bestehen kann.

Th. XXII.

Transactio super relictis in testamento facta non subsistit, sed vitiosa est; nisi prius visis & inspectis tabulis l. 6. C. d. transact. Adeo ut nec huic quidem dispositioni renunciare liceat, cum jure prohibitivo renunciare fas non sit arg. l. non dubium §. C. d. LL. Mantie. d. tacit. & ambig. convent. tit. 2. n. 20. & seqq. Ratio hujus est, quia solent homines, modico in contenti dato, inexpectato obvenientia facile repudiare l. 8. p. h. z. Consultum igitur est, ut in ejusmodi transactione visi testamenti mentio fiat: Dasz nachdem er das Testament gesehen und gelesen, auch was ihm darinn vermacht, genugsam überlegt, er sich mit N. N. hierüber folgender gestalt verglichen: vid Joh. a Sinde Dec. Frisic. l. 4. l. 5. Def. 15. Cum vero & hic sufficiat, si aliunde contentorum testamenti sufficientem notitiam habuerit transigens; non inconfultum erit in transactione contenta testamenti exprimere, quo eo magis ea non ignorasse transigentem constet. E. g. Nachdem mir Glaubhaft von denjenigen Personen; so das Testament

ment

¶ ( 17 ) ¶

ment gelesen, berichtet, daß der Testator mir darinnen sein Wohn-Haus vermacht, mir aber dasselbe anzunehmen wegen unterschiedenen Ursachen bedänckl. fällt, so habe ich mich mit N. N. dahin verglichen vid. Dn. Stryk. d. Cautelis contr. Sect. 3. C. 7. S. 7.

Th. XXIII.

An autem de controversiis, quæ ex testamento oriuntur, non inspectis nec cognitis testamenti verbis, gratis atque donandi causa pacisci liceat, inter DD. acriter controvertitur. Et quamvis nonnulli id indistinctè pariter negent, moti hoc fundamento: Quod eadem ratio, quæ de hisce controversiis transactionem prohibet, in pactione quoque donandi causa facta obtineat; siquidem & hic paciscens, parum sibi relictum esse existimavit, unde ad liberalem repudiationem exigui lucri facilè induci potuit; non idem fortè facturus, si quantitatem relictæ in testamento sci-  
visset. Nobis tamen contraria sententia, quod nempe de controversiis, quæ ex testamento proficiuntur, gratis donandi animo pacisci liceat, verior & legibus magis conformior esse videtur, quam defendunt Lauterbach. ad ff. h. t. l. B. Hum. tract. d. transact. C. 3. Ex. 29. Borkholt. d. tract. C. 5. n. 20. Unusquisque enim de re sua pacisci, sui que juris persecutionem deterio-  
rem confutuere potest l. 7. §. si paciscar ff. de pact. nisi expressè pactio illi fuerit interdicta. At nusquam in toto jure prohibita legitur, de controversiis testamentariis pactio, igitur permessa censetur. Deinde: ubi diversa ratio est, ibi diversum jus quoque constitui debet: jam vero diversa ratio est pactionis & transactio-  
C  
nis

nis, quia qui transigit, accepto minimo, forte pro magna summa, decipitur, cum utique velit, quid habere ex testamento, non vero decipitur, qui ultro remisit *Stryk. in annot. ad Lauterbach. tit. d. transact. verb. valet.*

Th. XXIV.

De alimentis, quæ ex contractu debentur, rectè transigitur *l. 8. §. hæc oratio in fin. ff. h. t.* Cum nihil fiat contra mentem contrahentium, qui uti obligationem posuerunt, ita ab illa pro lubitu recedere possunt. *Zoef. ad. tit. ff. d. Transact. ib. 17.* Præterea de alimentis testamento relictis, præteritis, i. e. in præteritum tempus assignatis, si lis fuerit, potest transigi; de futuris autem alimentis testamento relictis transigi non potest, sine autoritate Prætoris in *l. 8. pr. l. 8. C. h. t.* Ratio differentiæ hujus est: Alimenta nempe propterea alimentario sunt relictæ, ne alimentarius esuriat & egeat, contra voluntatem ejus, qui alimenta reliquit: At in futurum tantum, non in præteritum quis esurire & egere potest; Ideoque de futuris alimentis sine Prætoris transactio est prohibita *Bartol. in tract. de alimentis n. 33. C. fin.* Cum enim, quibus alimenta relictæ, facile transigerent, contenti modico præfenti; hinc SCtum hoc introduxit, ne aliter futurorum alimentorum Transactio rata esset, nisi auctore Prætoris facta, qui solet intervenire, & inter consentientes arbitrari, an? transactio, & quæ? justa esse queat. *l. 8. C. h. t.*

Th. XXV.

In spiritualibus transigere prohibitum *C. si quando de*

*de offic. delegator C. constitutus c. preterea X. d. transact.*  
 Species enim Simonix est *c. 7. X. eod.* Hinc de matrimonio, quod spiritualibus accensetur, prohibita est transactio, in quantum illud solvendum: siquidem quaestio ejus secundum Canones decidenda, non autem secundum privatorum arbitria *C. preterea 10. & seq. X. d. Transact. Gail. 2. obs. 34. n. 14.* Ne mutua voluntate solvant homines, quod a DEO ipsomet est colligatum. Consensus enim efficit verum matrimonium, quod per contrarium consensum, transactione scilicet, non potest tolli: *Joach. à Beust. d. Jur. Connub. part. 1. C. 29.* Quæ vera sunt, de vinculo matrimonii jam contracto, si de illo dissolvendo agitur: *C. fin. d. transact. Lauterb. in Comp. Jur. ad tit. d. Transact. lit. O.* Secus vero, si matrimonium nondum est consummatum, & quando de promissione matrimonii adhuc sub iudice lis est, aut ea potest difficulter probari; quo casu nulla est prohibita transactio, sed alter alteri certam pecuniæ summam offerendo, est audiendus. *Carpz. Jur. prud. Eccles. libr. 2. tit. 14. Def. 233. n. 7. & seq. Beust. d. matrim. p. 1. C. 29.* Quales transactiones initas, exemplis declarat *Cypræus de spons. C. 3. §. 13. n. 2.* Pariter valet transactio pro matrimonio, inter conjuges separatos, ut iterum sibi cohabitent. *Stryk. us. mod. ff. h. t. §. 21.*

Th. XXVI.

Quod delicta attinet, de futuris nulla valet conventio aut transactio: invitaret enim illa ad delinquendum *l. 27. §. 4. d. pact.* De admissis vero, quæ infecta fieri non possunt, & quidem privatis, si civiliter agatur, ante litem contestatam licet transigere, ex ea

C 2

ra-

ratione, quia ita transigens nondum pro confesso habetur *l. 26 §. 5. ff. d. nox. act. Habu ad tit. de his qui notant. infam. n. 5.* Post litem contestatam, transactiones pariter quasi sunt permixtae, hoc effectu, ut actio ipso jure tollatur *l. 17. §. 1. ff. d. pact.* Attamen si tale delictum sit, ex quo condemnatus fieret infamis, ut in furto, rapina, injuria; ipse transigens non minus fit infamis, quam si condemnatus esset *l. 4. §. 5. ff. d. his qui not. inf.* quia videtur confiteri crimen, ita, ut hisce judiciis non tantum damnati, sed & paciscentes notentur infamia *§. 2. J. d. poena tem. litig.* Utrique si pretio interveniente pactus sit Titius, non si gratis remissa ipsi est actio, vel jussu judicis *l. 6. §. 3. ff. d. his qui not. inf.* Inhumanum enim esset, veniae locum dari nullum *Vinn. ad §. 2. J. d. poen. temp. litig.* Inde etiam in crimine injuriarum gratuito & absque datione aut promissione pacisci, est utrique parti licitum *l. 27. §. 4. l. 17. §. 6. in fin. d. injur.* Siquidem injuriam contemnere viri est magnanimi; nec non eam vindicare, Christiani. Reo vero, ut gratuitam remissionem recipiat, nihil periculi imminet, adeo ut nec ejus famam laedat, si deprecatione impetraverit injurians, ne secum injuriarum agatur. *Mævius p. 1. Dec. 223. n. 7.* Quod si vero post litem contestatam, dato vel accepto de injuriis sit transactum, non perinde extra notam erit reus, pecuniae enim datione faterur injuriam, quo ipso fit infamis *L. 18. C. ex quib. caus. infam. Job. à Sande l. 4. Dec. 5. Engelbrecht. ad tit. ff. d. transact. th. 62.*

Th. XXVII.

Nec à poena infamiae immunis est transigens, licet

cet protestetur, se non animo confitendi transigere, sed pro redimenda vexa : Nam licet hæc protestatio possit admitti in criminibus capitalibus, alia tamen ratio est in criminibus non capitalibus. ubi transactio non æque est licita, sed transigens pro confesso habetur, confessum vero infamia ipso jure sequitur §. 2. *J. de pæn. tem. litig.* Poterit tamen infamiae pœnam evitare transigens, si tertius quis, ejus famam providens ex instituta accusatione periclitari, pro ipso transactionem suscipiat, accusantique satisfaciatur, quo casu accusatus non potest fieri infamis, quia nec condemnatus, nec ipse transigit. Et transigens pariter non fit infamis, qui nec de suo, sed alieno transigit delicto *l. 4. §. ff. d. his qui not. infam. Sam. Stryk. d. Caut. contr. f. 3. c. 7. §. 10.*

Th. XXIIII.

Sin delicta vero sint publica, sique sanguinis pœnam inferant, transigere licet de his Actori: Is quippe non incidit in talionis pœnam, aut Scti Turpilliani, coeptam licet deseruerit accusationem, ac abolitionem non impetraverit. *l. 13. §. 1. ad Sct. Turpill.* Nec in crimen labitur concussionis, licet ante coeptam accusationem, pecunia accepta, desistat *l. 1. §. 3. d. Calumn. Struv. Jurispr. Rom. Germ. Forens. l. 4. t. 1. th. 9.* Et transactio conceditur reo, siquidem nec hic confiteri crimen intelligitur, sed ob dubium litis eventum miserationis ratione præsumitur potius periculo mortis territus, quam sceleris conscientia pecuniam dedisse *Struv. d. l.* Excipitur autem à transactione crimen adulterij *l. 28. l. 10. C. ad L. Juliam d. adulteris. ne maritus*

C 3

+ 1000 ...



ritus, pretium pro injuria accipiendo, lenocinii crimen exercuisse censeatur. *Molin. d. jur. & just. tract. Disp. 64. n. 1.* Hodie de adulterio est transactio ita licita, ut maritus uxorem adulteram in gratiam recipere, eademque adulterium condonare possit; ob quam causam, favore conjugis innocentis, consortium matrimoniale cum nocente continuare cupientis, nocenti pœna mortis remittitur. *Carpz. Pr. Crim. Q. v. 55. n. 14. Richter. ad L. 18. C. d. transact. n. 71.* Quæ conventio non tam speciem transactionis, quam potius simplicis remissionis vindictæ, & facultatis petendi divortium, continet. *Berlich. p. 4. concl. 27. n. 10.* Magistratui tamen transactionem hanc nihil præjudicare, sed solum transigentem ab accusando repellere, imo aliis accusare, vel judici per modum inquisitionis procedere, integrum esse, est extra omne dubium. *Carpz. Proc. Crim. Q. 148 n. 14. Brunn. Proc. inquis. C. 9. n. 45.*

Th. XXIX.

In cœteris delictis publicis non capitalibus, pœnam sanguinis non ingerentibus, item de delictis privatis, si criminaliter agatur, transigere est prohibitum. *l. 18. C. h. t.* Quia prior ratio cessat, nempe sanguinis redemptio, & quidem si post institutam accusationem fuerit transactum, reus habetur pro convicto *l. ult. ff. d. Prævaricat.* accusatori vero non licet citra falsi accusationem & pœnam S. C. Turpillian *d. l. 18.* transigere. Cœterum hodie de his criminibus etiam transactio est licita, *vid. Struv. cit. loc.* nec ex ipsa rei natura hujusmodi transactio est prohibita. *Molin. d. J. & J. tract. 3. Dec. 47. n. 13. Cavaruv. var. resol. c. 10. n. 7.*  
Quæ



( 23 )

Quæ transactio de his delictis Magistratui non obest,  
quin pœnam delinquenti dictare possit. *Gail. in obs. n. n.*  
*18. Coler. P. 2. Conf. 3.*

## Th. XXX.

Effectus transactionis est, quod jus dubium decidat, rebusque ac litibus incertis finem imponat *l. 16. C. d. transact.* Hinc etiam transactio non minorem auctoritatem, quam res iudicata, habere dicitur, ita, ut quemadmodum res iudicata finem controversiæ imponit; ita quoque transactio. Imo majorem nunquam habet, quam res iudicata. Nam si transactio acceptilatione vel simplici, vel Aquiliana stipulatione fuerit facta, ipso jure actionem perimit; cum res iudicata ope solum exceptionis actionem tollat *l. 4. C. h. t.*

## Th. XXXI.

Ad transactionis effectus etiam pertinet, quod lites ac controversiæ semel per eam legitimè definitæ, neque unius pœnitentia *l. 39. C. h. t.* neque sub prætextu instrumentorum post repertorum *l. 16. l. 19. C. h. t.* nisi dolo adversarii fuerint occultata *Stryk. in annot. ad Lauterbach. Tit. d. transact. verb. repertorum*, neque imperiali rescripto resuscitari possint. Quamvis Princeps in Rescripto suo expressè & nominatim adjece- rit, se velle præcise scripto stari, non obstante aliqua transactione *Hilk. ad l. 16. C. transact. Fachin. n. 8. contr. 63. Menoch. arbitr. quest. l. 1. q. 48. n. 7.* Princeps enim jus quæsitum alteri non adimere, neque ea, quæ Juris- gentium sunt, tollere potest: Cum Ipse juri Naturali, hominibus omnibus communi, non præsit, sed subsit.

Transa-

Transactionem autem esse Jurisgentium, atque ex Juregentium descendere, nemo ibit inficias. Imo ne tunc quidem Rescripto Imperatoris aut Principis, transactio privatorum legitimè perfecta, infirmabitur; licet ab ea recedere publica suadeat utilitas, nisi vel à Principe vel à civibus, contributione facta, justum transigentibus refundatur interesse: *Hunn. d. Trans. Ex. 2. c. 5.* Iniquum enim esset atque inhumanum, jubere, ut jactura atque incommodo suo, unus, aut pauci duntaxat quidam cives, exclusis reliquis, publicæ utilitati ac necessitati subveniant. Sicut enim utilitas & commodum universonum est, ita quoque opera & incommodo universonum, non aliquorum duntaxat civium, reipublicæ utilitatem quæri ac conservari, æquum est. Siquidem hæc lex naturæ existit justissima æquissimaque, ut eum incommoda sequantur, quem sequuntur commoda *l. 10. ff. d. R. J.*

## Th. XXXII.

Infirmatur transactio 1) utriusque partis voluntate. Quin enim consensu utriusque transigentis à transactione recedi & causa ex integro agi possit, vix dubitare licet *l. 14. C. h. t.* 2) Propter metum & dolum. Leges namque nostræ nominatim atque in specie transactionem dolo initam improbam pronunciant, *l. 9 §. 2. ff. h. t. l. 4. l. 13. C. cod.* sive dolus ab initio intervenerit, *l. 19. C. d. t.* sive in transactionem incidere, eamque subsecutus fuerit *l. sine C. h. t.* Imo, si dolus sit prospicuus, etiam jurata transactio resolvitur, dolus enim juramentum vitiat. *Auth. Sacramentum puerum C. si adversus venditionem.* Ipse tamen qui dolum ad-

admisit, frustra rescindi transactionem petit. Et jura nostra non decipientibus, sed deceptis succurrunt. *l. 2. ff. ad Sct. Vellej. l. 2. C. si minor. se major. dix.* Nec quisquam ex sua improbitate actionem consequitur. Hinc etiam æquissimum est, ac rationi consentaneum, decipienti nec actionem, nec exceptionem dari *l. 30. C. h. t. 3.)* propter errorem *l. 29. C. h. t.* etiam propter errorem calculi *l. un. C. d. err. calc.* Nisi in specie super illo errore fuerit transactum & judicatum, *d. l. un. Struv. Jurispr. l. 4. tit 1. a 12.* & generaliter dici possit, quicquid obstat consensui, illud obstat rationi. *Sam. Stryk. in not. ad Lauterb. tit. d. transact. verb. errorem 4)* Infirmatur transactio, si ex falsis instrumentis sit inita, *l. ult. C. h. t.* modo instrumenta probentur falsa, & iudex eorum fidem fuerit securus; *l. 3. C. si ex fals. instrum.* vel etiam transigentes illis instrumentis ad transigendum fuerint permoti *Stryk. d. loc. verbo falsa.* Et in causa publica, propter instrumenta postea reperta *l. 25. C. h. t. Lauterb. in Comp. Jur. ad tit. de transact. in fin.* 5) Transactionem ex *l. 2. C. de resc. vend.* rescindi posse, multorum locorum consuetudines & statuta probant, testante *Carpz. P. 2. C. 34. Def. 1. & 4. Richt. P. 2. Dec. 99. n 54. & seqq. Mynsing. Cent. 1. obs. 33.* Quanquam in puncto juris verior sit sententia contraria, *arg. l. 19. l. 23. princ. l. 20. C. d. transact. l. 78. §. ult. ff. ad Sctum Treb.* Ratio est, quia transactio dicitur stricti juris; & ne lites instaurantur, maxima est juris cautio; tandem, quia transactio non nisi de rebus incertis fit. Ut enim rescissio propter læsionem ultra duplum locum habeat, rem certam illam inprimis esse oporteat.

D

Quo-

Quomodo autem de duplo constabit, nisi de simplo prius constiterit. *Huber. ad ff. h. t. n. 4.*

Th. XXXIII.


Hæc sunt, quæ de utilissima hac materia raptim colligere, & speciminis loco, Academica ventilationi exponere licuit. Quæ quidem minus accuratè disposita & elaborata esse, non diffiteor, interim tamen à candore tuo, benevole Lector, spero. Te quod erratum est, ob temporis brevitatem & negotiorum, inter quæ nata est hæc disputatio, multitudinem, secundum monitum Justiniani nostri in *Const. Tanta de confirmat. digest. §. 14.* imbecillitati humanæ id esse condonaturum; cum memoriam habere omnium, & in nullo penitus peccare, divinitatis magis, quam mortalitatis sit. Tandem, si quid hic bonis moribus, si quid legibus Imperii civilibus atque publicis, si quid ulli veritati dissentaneum à me dictum esset, id nec dictum, nec cogitatum esto *Grot. in fin. Proleg. oper. d. J. B. & P.* Tibi vero, Summe, Terque sancte Deus, æternas devotissimasque persolvo grates, quod laboribus hæcenus meis ex alto benedicere, meque ad hunc felicitatis portum, ventis secundis perducere clementissimè volueris. Adsis porro, o benigne Deus! conatibus meis, propter **TRANSACTOREM** totius generis humani, Unigenitum Tuum; errantem corrige, peccantem sustine, tandemque post tot lites feliciter compositas, colloca me in domum pacis, & æterna quiete frui, concede.

**F I A T.**

**S**ic legis intrepidus docti vestigia Patris,  
Dum dignus Juris conscendis pulpita, Amice,  
Et quæ sint animi dotes, quæ munera, monstras;  
Grata Themis ergo properat Tibi ferta datura.  
Auspiciis his perge bonis, molireque magna,  
Et Tibi fausta feret Calathis fors Lilia plenis.

*Ita Prenob. Domino Doctorando  
gratulatur*

D. ERNESTUS TENZELL,  
p. r. Fac. Jurid. Decanus.



**A**Ufû felici, quæ sit transactio justa,  
Perdoctû specimen, non sine laude, probas.  
Hoc ergo excipimus consvetis plausibus omnes,  
Et bona sincero pectore verba damus:  
Floreas ut Liliû, flagrante cupidine surgas,  
Æquipares Patrem! Sit benedictus honor!

Sic

*Nobil. & Clariss. Domino Jur. Utr. Candidato, &c.  
Amico suo suspiciendo coapplaudit*

JOH. HENR. Meier Jctus;  
Regim. Elect. Confil. Judic. Provinc.  
Assess. Primar. Profes. Decr. Publ. Facult.  
Jurid. Sen.

**S**emper agit causas, nec tempore transigit ullo,\*  
Qui Juris leges litigiosus amat,  
Et *Tu Care* mihi, qui primus es inter Amicos,  
Transigis haud raro, transigis, atque beas  
Tricones querulos, declinans nescia Fata:  
Quare *Tibi* semper lausq; decusque manent.  
Ast in Parnasso *Tibi* non transigere fas est,  
Quippe ex Castalidum pulvere Victor abis.  
Mirantur suadam, mirantur dona stupenda,  
Quotquot perspiciunt dona Tui ingenii.  
Gratulor: hæc Laurus, proprio quæ Marte re-  
denta,  
Grata Patri & Patriæ, fac Deus Alme, sicut.

\* *Ovidius.*


In honorem

*Nobilissimi ac Consultissimi*

DN. DOCTORANDI,

Auditoris quondam Sui summe industrii, nunc  
Fautoris dilectissimi, hæc adposuit  
Opponens

M. CHRISTIANUS *Iberstädt*/  
Eccles. Ilversg. Pastor.



*Nobilissimo Eruditissimoque Domino*

**GABRIELI HEINRICOLILIEN.**

**L**ilia, virgineo trabeati vertice Reges,  
 Cœli progenies lactea, Veris honos.  
 Quêis niveo rorem perhibetur ab ubere Mater  
 Destillare Eos, dum micat orta Polo.  
 Suscipiunt bibulis cœlestia dono labellis  
 Ut nutent, dulcis crapula sæpè facit.  
 Donec restituat maturo lumine phœbus,  
 Et sic eâ pergant eminuissè nive.  
 Quam dum Flora videt, vultu confessa pudorem  
 Se victam dicit, quasquè foveret opes.  
 Cognatam immittit turbam, quæ basia figant,  
 Melq; domum referant, præmia amoris, apes.  
 Haud aliter Pallas tibi quanta scientia vasto  
 Splendeat ingenio dum videt, ipsâ stupet.  
 Miratur dotes animi, miratur & ingens  
 Juris opus, doctâ quod bene mente tenes.  
 Invitat, quem fortè premit fors dura, popellum  
 Ut sibi subsidium captet ab arte tua.  
 Id genus ut plures adeant tua tecta melissæ  
 Apprecor, & nunquam Lilia deficient.

**PHILIPPUS SEBASTIANUS KÖRNER,**  
 Electoralis Præfecturz Alacensis Actuarius.

*Prænobili & Clarissimo Domino defendenti*

**L**ilia deliciae vitæ, candentia campi  
 Sydera, Nympharum gratia, cura Poli.  
 Vix tenero primas cepistis germine cunas,  
 Fertur amans vobis Flora parare Thronum.  
 Ædificat longum suspensò stamine caulem,  
 Et mirâ folio sufficit arte gradus.  
 Inde humilem (a) circa florum sublime nitenti  
 Vertice despicitis, regia turma, gregem.  
 Ne tamen argueret minimi plebs subdita nævi,  
 Innocuam affundit sedula Diva nivem.  
 Advocat & famulas cœlesti rore Napæas,  
 Quæ purgent castas lacte nivente comas.  
 Nativum dum candet ebur, facitisque perenni  
 Judicibus Divis integritate fidem,  
 Regius ambitur croceo diademate candor,  
 Guttâque inspersi sanguinis ardet apex.  
 Dic quibus in terris Augusto hæc integra Mense  
 Extollant vegeto Lilia flore caput?  
 Intueor ni forte aliquis me fallit Apollo,  
 Inter Pandectas surgere tale Decus.

(a) *Nulli florum excelsitas major. Plin. L. 2. C. 5.*



❧ ( 31 ) ❧

Dum pro Justitiæ pugnat candore, secundum  
 Omen in intacto Nomine Musa legit.  
 Te Doctorali decorabit Adorea sermo,  
 Quam dabit Ingenio culta Minerva tuo.  
 Hæc Dea te quoties sapientium fonte rigavit,  
 Ne mens langueret labe notata rudi?  
 Ex aliis septem quoties ivere sorores  
 Suppetias, melius quod reniteret opus?  
 Usque Decus niveum Juris, Legumque perita  
 Integritas pleno flore decora micat.  
 Gratulor: ast ne casta Themis corrupta feratur  
 Id cave: nigra alias Lilia crede fore.

*Ita inter ceteros noto affectu  
 applaudere voluit*

MAXIMILIANUS PHILIPPUS BLUM,  
 Præfecturæ Gisperslebiensis Actuarius.



110

Dum pro felicitate pugnat ardore, secundum  
 Omnes in iuncto Nonne Mula legit  
 Te Doctorali decorabit Adora sero,  
 Quam dabit ingenio culta Minerva tuo.  
 Hæc Dea te quocumque sapientiam fonte rigavit  
 No mens sanguinet labe nota ridi  
 Ex aliis septem quocumque iure forores  
 Suppetas, utitur quo reminet opus  
 Uspice Deum mixtum iuris, Legamusque petita  
 Interpres pleno hore decori nitent  
 Gaudet: at ne casta Thémis con- pta ferat  
 In cave: nigræ illis credis fore  
 In iuncto ardore nota affert  
 apparet colat

MAXIMILIANUS PHILIPPUS BAV.

Præfatus Christophorus Agrippinus



77-06 (1+12)

86.

ULB Halle

3

004 997 492







1719, 6<sup>a</sup> 597  
9

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**EO, QVOD JUSTUM  
ET INJUSTUM EST  
CIRCA  
TRANSACTIONEM,**

QUAM  
IN ILLUSTRIS ET PERANTICVA UNIVERSITATE  
ELECTORALI HIERANA  
*SUB PRÆSIDIO ALTISSIMI,*  
SENSU ILLUSTRIS FACULT. JURIDICÆ,  
PRO CONSEQUENDIS IN UTROQUE JURE PRI-  
VILEGIIS ET IMMUNITATIBUS

**DOCTORALIBUS**

*D. XVII. AUGUSTI ANNO SALVTIS MDCCLXIX.*

PUBLICO DOCTORUM SCRUTINIO  
SUBMITTIT

**GABRIEL HEINRICUS** *Silien/*  
ERFURTENSIS,

REGIMINIS ET JUDICII ELECTORALIS HUIJATIS  
ADVOCATUS ORDINARIUS.

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiæ Typographi.